

nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera, ille vero dissimulabat se audire, 1. Reg. 10. num. 27. postea vero succedentibus rebus Naas Ammonites obsedit Jabes Galaad, fecitque eis in pactum apposuit condiciones, quas agnoscentes populus Israel in fletum magnum prorumpit: *Ei ecce Saul veniebat sequens boves de agro, & ait: Quid habet populus, quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes, 1. Reg. 11. num. 5. Satis ambigua exoritur quaestio: Dum Saul injuriis appetitur a filiis Belial, ita se habet, ac si verba ad aures ejus minime pervenissent; dum vero populus Jabes periclitatur, sollicite, ac prompte verba percepit, & audit? Eleganter D. Gregorius. Saul sententiam populum vidit, ob quam causam fieret, interrogavit: quia electus doctor auditorum necessitatem compatiendo suam facit, & hanc revelare appetit. Dum iniquorum coetus in Saul contumelias conjicit, ac minus quam decet, de eo judicat; astute, & prudenter celat Rex, & ac si nihil ei notum sit, se exhibet. At cum de alterius remedio, ac salute incidit causa, nil dissimulat diligenter audit, ac percipit, ut oportune opituletur. Passim tam in sancto Evangelio, quam Prophetis invenies quod stabat Jesus, & clamabat; tamen de ipso ait Isaias: *Non clamabit, nec audietur vox ejus fortis, cap. 42. num. 2.* Si vox Domini ita in silentio erat, ac submissivane, ut de eo dicatur: *Non clamabit; quomodo, alta, & sublimi voce clamare, testatur Evangelista? Ut sinistram populi opinionem, de eo conceptam sufferret, ita modestus erat, ut obmutesceret, ne vox ejus audiretur. At ut homines ad caelestem patriam reduceret, ejusque salutes aquas propinaret, altisona voce rotam adimplebat orbem. Hugo Non clamabit, & non audietur vox ejus fortis. Contra Joan. 7. num. 37. In novissimo magna festivitatis die stabat Jesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, &c. Ad Hebraeos 5. num. 7. Cum clamore valido, & lacrimis offerens exauditus est pro sua reverentia. Et clamor veniens ex impetu contentionis; & est clamor proveniens ex fervore charitatis, de primo dicitur hic: *Non clamabit. Clamor Domini erat, non ex contentione pro suis depellendis injuriis; sed ex charitate eximia pro aliorum salute. Vide infra quaest. 13. in fine.***

Isai. 42. 2. Christus pluris estimat salutem nostram, quam dignitatem suam.

Hugo. Ioan. 7.

Hebr. 5.

QUESTIO XI.

Quare inter Evangelistas solus Ioannes geminat dictionem, Amen?

59. DICTIO Amen, vox est Hebraica, & in textu non interpretata manet, ut notat D. Bonaventura, ut mysterii velamento honor habeatur. Et dupliciter sumi potest, & ut nomen substantivum, & dicit fidelitatem, ac veritatem; hoc est, verus, & fidelis in suis dictis, & factis Apocalyp. 3. num. 14. *Hac dicit Amen fidelis; hoc est: Hac dicit Deus verus, & fidelis. Altero modo sumitur ut adverbium, & duplicem retinet significationem. Prima significatio est consentiendi, & confirmandi dicta, hoc est, ita sit, seu fiat ut dicitur: & sic passim habetur Deuter. 27. Omnis populus dicit: Amen. Altera significatio est per modum affirmandi, & asse-*

Bonavent. Dupliciter sumitur. Amen.

Apoc. 3.

Deuter. 27.

verandi dicta; & ideo D. Hieronymus epist. 177. ad Marcellum, notat, hanc dictionem Aquilam Hieros. vertisse Graecè fideliter: Septuaginta, fiat, fiat. Germinatio autem vocis vim habet superlativi, quo carent Hebraei, ut notat Mariana. Quæstio præsens est, cur inter Evangelistas solum apud Joannem hæc vox Amen reduplicata invenitur? Hoc dubium excitant Rupert. lib. 3. Rupert. Divus Thomas & ita respondent; verba sunt D. Thomæ. *Hanc dictionem solus Ioannes Evangelista ingeminat inter Evangelistas, Cujus ratio est, quia alii Evangelista ea principaliter tradunt, quæ ad humanitatem Christi pertinent, ad qua cum hæc res valde facilius credibilia sint, minor assertio necessaria de sublimitate erat. Ioan. vero ea, quæ ad divinitatem Christi pertinent, principaliter tractat, quæ cum oculis sint, & à cognitione hominum remota, majori assertione indigebant. Hanc rationem multi recentiores applaudant, & est satis probabilis. Illud tamen facit difficultatem, quod semper Joannes ingeminat dictionem Amen, alii Evangelista nunquam, cum de rebus gravissimis agant, imo in fere similibus Joannes duplicatam ponit vocem, non vero alii ut hic Joannes ait: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, non intrabit in regnum caelorum. Et Matth. 18. num. 8. Amen dico vobis, Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Hoc est, nisi per gratiam Spiritus sancti habueritis simplicitatem, ac humilitatem pueri: ut explicant D. Paschasius, Clemens Alexandr. lib. 1. Pedagogi, cap. 5. D. Ambrosius serm. 10. Cur ergo solus Joannes ingeminat vocem. Respondet secundò idem Rupertus. *Potest esse recte intelligi, quod Amen dictum sit pro ipso nomine veritatis, quæ est ipse filius Dei, juxta illud Apocal. 3. num. 14. Hac dicit Amen: testis fidelis, & verus, qui est principium creaturae Dei; & sic dicat: Amen dico vobis, ut intelligas eum dixisse? Ego veritas dico vobis. Ut divinus Evangelista omnes traheret, ut dictis Christi acquiescerent. Ait, Ego veritas dico vobis: animus enim proposita veritate maxime trahitur. Tertio Albertus Magnus. Amen, amen, hoc est, vere, vere. Quoniam habet veritatem consilii æterni in prædestinatione Patris. Et habet immobilitatem in verbo Verbi Incarnati pronuntians. Ut Christus Dominus homines, quos vocabat ad regnum caelorum alliceret, constantiam; & firmitatem in suis verbis, ac promissionibus ostendit, tum ex decreto Patris, tum ex sua ineffabili veritate: vehementi impetu movetur animus stabili, ac firma sponione. Quarto D. Augustinus tract. 11. Hugo, notant, quod bis dicitur Amen, ad majorem confirmationem eorum quæ dicebantur. Hæc solutiones optime explicant dubium, cur duplicetur Amen; non tamen enucleant, neque extricant nodum, cur solus Joannes inter Evangelistas omnes semper hanc vocem geminat, non vero alii, qui eam semel tantum apponere contenti sunt. Ideo probabilius mihi videtur dicendum cum Maldonato, hunc modum scribendi natum esse ex proprio Evangelistarum ingenio. Assuetum erat utrumque vulgo dici: & Christus Dominus quando loquebatur, solebat aliquando geminare, aliquando non. Evangelista autem pro suo quisque ingenio verba, ac sententiam Christi recitant: solebat unus geminare, cum loqueretur, alij**

Matth. 18.

Paschas. Clem. Alex. Ambros.

61. Rupert.

Veritas maxime attrahit animos.

Albert. Mag.

Promissio fidelis movet animum.

August. Hugo.

62. Maldon. Vera solutio.

alij verò non; sacri enim scriptores, non ad verba, sed ad sensum, ac sententiam frequenter attendunt. Et quamvis divinus Spiritus scriptoribus suis semper assistat, ut summam veritatem enarrent; idem tamen Spiritus multoties permittit, & eos relinquit, ut modo sibi accommodato, & secundum suum ingenium, & eruditionem scribant, ut observat Suarius *com. de fide, disp. 4. sect. 3. num. 5. & 15.* Et ideo Joannes ex proprio ingenio repetit, Amen. Moraliter etiam rem explicemus. Cum Joannes charitate valde fervidus esset, ideo frequenter duplicatam dictionem apponit, ut omnium cordibus Christi verba insinuaret, atque reconderet, Passim Christus Dominus in Canticis voces ingeminat. *Amica mea, speciosa mea, columba mea, Cantic. 2. num. 13. Veni de libano sponsa mea, veni de Libano, veni, Cantic. 4. num. 8. Sed ad quid ita reduplicantur voces? Nonne sat erat dicere: Speciosa mea? Ad quid additur, formosa mea? Nonne sat erat semel dicere veni? Ad quid iterum, atque iterum repetitur? Rupertus in Cantica: *Eximia charitas non contenta est una voce, sed multiplicat affectus.* In persona Christi ait regius Vates: *Deus, Deus meus respice in me, Psalm. 21. num. 1. seu, ut vertit Aquila: Fortis meus, fortis meus; bis ponitur nomen Deus. Vehementi Christus Dominus intendebat conatu, ut oratio sua caelos penetraret, ad Deumque accederet; ideo ob affectum, ut ibi notat Lorinus, nomen repetitur. Quod frequenter fecit Christus Dominus Matthæi 23. num. 37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, Luc. 10. n. 41. Martha, Martha sollicita es, Luc. 22. n. 31. Simon, Simon, ecce Sathanas expellit vos ut cribretis sicut triticum, ecc.**

Suarius.

63. Charitas ingeminat voces.

Can. 2. Can. 4.

Rupert.

Psal. 21. Aquila.

Lorin.

Matth. 23. Luc. 10. Luc. 22.

QUESTIO XII.

Quare Christus Dominus cum Nicodemus tertiam loquatur personam, cum ad ipsum dirigat nomen.

QUAMQUAM Tolerius in Commentario existimet, quod Nicodemus ad Christum venerit, non ut ab eo in doctrina instructeretur: simpliciter tamen dicendum est cum D. Chrysof. hom. 23. Beda, Rupertus, & aliis, Nicodemum ad Christum convenisse, ut ab eo disceret; quod jam notavi quaest. 10. Ideo in dubium vertitur, cur Christus Dominus loquatur cum Nicodemus pro tertiam personam. *Nisi quis renatus fuerit? Cur Dominus ad ipsum explicite non dirigit sermonem, & dicit: Nisi tu renatus fueris; hujusmodi enim explicatio sermonis in Scriptura etiam in corrigendis peccatoribus est valde frequens. Sic olim Moyses dixit ad Aarone: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Exod. 32. n. 21. Sic Samuel fatur ad Saulem Sacerdotis officium usurpantem: Quid fecisti? 1. Reg. 13. num. 11. Sic Nathan ad Davidem in peccato obdormientem, 2. Reg. 12. n. 9. Respondet primò D. Chrysof. homil. 23. Obscure, inquit, dixit, & ut aequiori animo toleraret, non aperit ad ipsum sermonem vertit; sed in-*

64. Tolert.

Chrysof. Beda. Rupert.

Exod. 31.

1. Reg. 13.

2. Reg. 12.

65. Chrysof.

definito utitur verbo: *Nisi quis renatus fuerit; sanum, non dicens, sive tu sive quis alius ealem de me habes opinionem, in regnum non recipietur.* Similiter D. Bonaventura: *Christus, inquit, non dicit, vexit sermonem ad eum, sed in tertia persona loquitur, ut mitius gravem sermonem sufferret, non ad ipsum manifeste dicitur sermonem.* Sapiencia Magister exemplo suo nos informat, non determinatè cum homine fatit, sed generaliter proponit doctrinam, ut ita facilius modo percipiatur; nam dum aliquis in particulari arguitur, aliquando ita est propositi tenax, ut ne ab errore suo desistat, emendari nolit. De malice Christi pedes ungentis obmutavit proditor Judas; tamen Salvator noster, non ad ipsum, sed ad omnes sermonem detorquebat. *Sinite illam ut in diem sepulturae mea seruet illud, Joan. 12. num. 7. Non particulariter fugillator Judas, sed arguuntur omnes, ut ipse facilius valeat emendari. D. Chrysof. tomus ibi: Demonstravit, quod proditorem cognosceret, non tamen manifeste reprehendit, ut à proposito revocaret.* Secundò Hugo. *Non dicit particulariter, Nisi tu renatus fueris: & hoc fecit duplici ratione. Prima, ut se ostendat generalem doctorem. Communis Doctor, ac communis doctrina animos post se maxime rapit. Ieremia 1. num. 9. loquitur divinus Spiritus, & ait: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce Ierem. 1. conspuit te budie super gentes, & regna. Rectè ponitur ordo, ut ibi observat Hugo: nam postquam dictum est à Domino, quod verba sua in ore Prophetæ dederit, statim communis Doctor ad gentes, & regna declaratur, ut ita major ei concilietur autoritas, ejusque doctrinæ excellentia ad omnes communis pateat.* Tertio citatus Hugo idem dubium solvens. *Secundo, ne indignaretur Nicodemus, si sermo doctrina specialiter ad eum dirigeretur: quia factum magisterij nondum deposuerat. Nicodemus, cum suo magisterij gradu esset inflatus, si eum Dominus expressè patenterque doceret, pro sua præsumptione tuenda caelestem doctrinam repellere poterat, eamque non acceptare. Hæc providens Dominus, hoc verborum involucro eum instruit, ac docet in via salutis. Explicat Paulus 1. Corin. 12. num. 8. divisiones Spiritus: Alij datur sermo sapientia; alij sermo scientia; alij prophetia, alij discretio spirituum. Et tandem veluti concludens ait: *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra; abundantiorum honestatem habent, ibidem num. 13. eleganti comparatione rem totam explicat, sicut enim humilioribus, ac verecundis membris majorem impendimus reverentiam, atque honorem, dum ea magis obtegimus, & occultamus; ita qui sæculi sapientem, atque potentem ad salutis viam reducere optat, eum non directè, ac manifestè pungere debet, sed verbis maxime abscondere, ac involvere, ut ita mitiori insecutus medicamento vim ad respicientiam inferat.* D. Gregorius lib. 13. moralium cap. 4. *Magna, inquit, Prædicatoris arte agendum est, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis ad salutem redeant. Unde Paulus dicit: Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorum circumdamus, &c. Si enim inhonesta membra in corpore, ita quidam sunt intra sanctam Ecclesiam potentes**

Bonavent.

Non arguitur in particulari, ut mittit; toleret.

Ioan. 12.

Chrysof.

66. Communis doctrina animos post se maxime rapit.

Hugo.

67. Hugo.

Inflatus sapientia falsa, cui emendari non vult.

1. Cor. 12.

Potentibus non manifestè reprehenduntur, ne exasperentur.

& protervi, qui dum aperta invectione feriri nequeunt quasi honore regiminis velantur.

QUESTIO XIII.

Quare Dominus Nicodemum non instruat de sua potentia ad miracula perpetranda?

68. NICODEMUS vi miraculorum Domini impulsus ad eum venit, erat enim unus ex illis, de quibus Joannes ait cap. 2. in fine, qui crediderunt in Christum videntes signa, quae faciebat, & de his mentionem fecit, dum ad Dominum accessit: Nemo potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Conveniens ergo videbatur, ut eum Christus Dominus de sua potentia instrueret, praecipue cum ipse existimaverit Christum Dominum non esse verum Deum, sed unum ex prophetis: ut notavi num. 21.
69. Ad hoc respondet primò Divus Bonaventura Nicodemum existimavit, se magna aliqua dixisse: ideo ostendens, quoniam neque in janua decemtiis cognitionis ascendit, sed extra regnum Dei erat, ideo ait: Nisi quis renatus fuerit, Nicodemus erat è numero eorum, qui sibi persuadent magna, & alta sapientiae proferre documenta, & ne primis labiis initium ejus degustant; existimavit enim, quod valde excelsa de Christo dixerit, Nemo potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Ideò Dominus hac ei responsione ostendit, quòd nec quid minimum, nec majestatis suae initium attrigerit: sunt enim multi ita in scientia inflati, ut super astra se volare praesumant, & tamen nec tanquam reptilia reptant super terram. In hos graviter invehitur D. Augustinus lib. 2. de Baptism. contra Donatum, & Diaboli vitium appellat.
70. Secundò idem D. Bonaventura, Quiritur, ait, quare non instruit eum de veritate suae potentiae, quod erat filius Dei naturalis non indigens auxilio alicujus ad operandum? Et ad istud respondet Chrysoftomus homil. 23. quòd studium erat Christo, non ita dignitatem suam revelare, sicut suadere, quoniam nihil ex diverso agebat Patri: etenim verbis moderatè loquebatur, in factis autem cum potestate mirificabat, ut patet infra Joan. 5. num. 11. Tolle grabatum tuum, & ambula. Et ideo non revelavit his verbis dignitatem suam, miraculo retem ostenderat potestatem. Quamvis Nicodemus natum convenienter de Christi Domini potentia indicaret; tamen bonus magister dissimulat, eumque in hoc, non sermone introit, quia totus, non verbis, sed operibus ad potentiam suam declarandam erat intentus. Cum primum in orbe Soljustitiae elucesceret, venit ad domum, in qua forcus Petri aegrotabat; Jesus accedens, elevavit eam apprehensa manu, Marc. 1. num. 30. Cur voce non impetat febri, sed manu erigit. Manus operum nostrorum est index; volebat Dominus coram suis, quos recenter vocaverat, praclarum majestatis suae exhibere documentum: ideo non voce, sed manu praestat. Victor Antiochenus. Indivulsum se cum carne sua societatem habere, persuasum volens, plerumque miracula, & signa per corporis ministerium edebat.
71. Tertiò, Nicodemus duobus graviter laborabat, necessitate divinae gratiae per baptismatis lavacrum in animae suae salutem & etiam perfecta cognitione potentiae Christi, quae non ut alio cuius puri hominis, ac Prophetae erat, ut ipse existimabat, & dixi supra num. 21. per quod Christi Domini majestas maximè effundebatur. Tamen bonus magister ad ea, quae ad hominis attinent salutem, attendit, ad illaque sermonem convertit, eum de spirituali regeneratione instruendo: ea verò, quae excellentiam suam, virtutemque declarabant divinam, dissimulat, ac praeterit; tanquam si ei in majori esset aestimatione nostra salus, quam sua majestas. Ait regius Vares Pl. 50. num. 28. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Horum verborum sensus est, ut explicant D. Augustinus, D. Hieronymus, Divus Thomas, Hugo, Genebrardus, non ster incognitus. Oblationes, & libamina rejecisti, sed cor contritum, & humiliatum tibi placet, & est acceptabile. Ex quo ingeniosa suboritur quaestio. Incogn. Sacrificia, ac oblationes actus Religionis consistunt; contritio, ac cordis humiliatio à virtute poenitentiae proveniunt, at planum est apud Theologos, & tamen, ut ipsimet docent cum D. Thom. 2. 2. quaest. 81. artic. 6. de quo latè vide Suardianum tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 9. num. 3. multo excellentior, & nobilior est Religionis virtus, quam poenitentia. Cur ergo Deus praestantissimum Religionis actum, nempe holocaustum respuit; & in inferiori virtute poenitentiae, id est, in corde contrito sibi complacet? Ea quae Religionis sunt, supremam Dei venerantur majestatem, eique reverentiam exhibent: contritio verò propria detestatur peccata, hominemque ad gratiae statum erigit: & Deus, qui dives est in misericordia, his potius, quae in salutem nostram cedunt, delectatur, quam illis, quae suae supremae celsitudinis cultum recolunt, 1. Corinth. 8. n. 9. ait 1. Cor. 8. Paulus: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopia divites essetis. Valde mirum, quòd Christus Dominus inter caelestes thesauros locupletissimus, in cuius manu respident divitiae, & gloria; & sub cuius pedibus omnia sunt subjecta, in hunc mundum veniens pauper se exhibuerit. Quid cum suprema gloria magis repugnans, quam infima pauperies. Nonne egestas amplitudini derogare videtur? Sed Deus ad nostram salutem ita afficitur, ut nihil duxerit pro hominibus lucrands majestatem suam exanimare, ut sua inopia gloriae in nos transferret divitias. D. Nazianzenus orat. de Pascha: Nazianz. Pauper factus est Christus, ut nos illius paupertate diceremus, servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; descendit; ut evehamur: tentatus est, ut vincamus, contemptus est, ut nos gloria sua afficiat; mortuus est, ut servet; ascendit, ut ad ipsam trahat humi provolutus in peccati lapsu. Vide supra num. 58.

71. Tertiò, Nicodemus duobus graviter laborabat, necessitate divinae gratiae per baptismatis lavacrum in animae suae salutem & etiam perfecta cognitione potentiae Christi, quae non ut alio cuius puri hominis, ac Prophetae erat, ut ipse existimabat, & dixi supra num. 21. per quod Christi Domini majestas maximè effundebatur. Tamen bonus magister ad ea, quae ad hominis attinent salutem, attendit, ad illaque sermonem convertit, eum de spirituali regeneratione instruendo: ea verò, quae excellentiam suam, virtutemque declarabant divinam, dissimulat, ac praeterit; tanquam si ei in majori esset aestimatione nostra salus, quam sua majestas. Ait regius Vares Pl. 50. num. 28. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Horum verborum sensus est, ut explicant D. Augustinus, D. Hieronymus, Divus Thomas, Hugo, Genebrardus, non ster incognitus. Oblationes, & libamina rejecisti, sed cor contritum, & humiliatum tibi placet, & est acceptabile. Ex quo ingeniosa suboritur quaestio. Incogn. Sacrificia, ac oblationes actus Religionis consistunt; contritio, ac cordis humiliatio à virtute poenitentiae proveniunt, at planum est apud Theologos, & tamen, ut ipsimet docent cum D. Thom. 2. 2. quaest. 81. artic. 6. de quo latè vide Suardianum tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 9. num. 3. multo excellentior, & nobilior est Religionis virtus, quam poenitentia. Cur ergo Deus praestantissimum Religionis actum, nempe holocaustum respuit; & in inferiori virtute poenitentiae, id est, in corde contrito sibi complacet? Ea quae Religionis sunt, supremam Dei venerantur majestatem, eique reverentiam exhibent: contritio verò propria detestatur peccata, hominemque ad gratiae statum erigit: & Deus, qui dives est in misericordia, his potius, quae in salutem nostram cedunt, delectatur, quam illis, quae suae supremae celsitudinis cultum recolunt, 1. Corinth. 8. n. 9. ait 1. Cor. 8. Paulus: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopia divites essetis. Valde mirum, quòd Christus Dominus inter caelestes thesauros locupletissimus, in cuius manu respident divitiae, & gloria; & sub cuius pedibus omnia sunt subjecta, in hunc mundum veniens pauper se exhibuerit. Quid cum suprema gloria magis repugnans, quam infima pauperies. Nonne egestas amplitudini derogare videtur? Sed Deus ad nostram salutem ita afficitur, ut nihil duxerit pro hominibus lucrands majestatem suam exanimare, ut sua inopia gloriae in nos transferret divitias. D. Nazianzenus orat. de Pascha: Nazianz. Pauper factus est Christus, ut nos illius paupertate diceremus, servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; descendit; ut evehamur: tentatus est, ut vincamus, contemptus est, ut nos gloria sua afficiat; mortuus est, ut servet; ascendit, ut ad ipsam trahat humi provolutus in peccati lapsu. Vide supra num. 58.
Iohannis 3. n. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex; nunquid potest in ventrem matris suae

Christus pluris astimat, salutem nostram, quam maiestatem suam.

Psalm. 50. August. Hieron. D. Thom. Hugo. Genebrard. Incogn.

D. Thom. Suardianus.

Hugo. Cajet.

73. Chrysoft. Iohan. 2.

Tolet. Nicodemus modestus, & non superbe se regit.

suae iteratò introire, & renascit.

VERSIONES.

Syriacus. Qui fieri potest, ut nascatur homo senex? Nunquid potest iterum in uterum matris suae duas vicibus introire, & gigni?
Arius. Num homo potest renasci senex existens? Num potest in ventrem matris suae secundò introire, & renasci?

EXPOSITIO.

NICODEMUS Christi responsione ac Dei regni visione vehementer concitatus, neque enim nomen regni Dei seu caelorum apud Judaeos aliquando auditum fuerat, ut observant D. Chrysoftomus hom. 23. Theophylactus, rei novitate maxime perplexus, atque avidus, regni nomen materialiter, ac temporaliter accipit: nam adhuc in carne radicatus totam Christi responsionem de re spirituali minime intellexit, ut dicam quaest. seq. In hoc tamen Nicodemus maxime laudandus, qui quamvis dicta Christi non intellexerit, ut ait citatus Chrysoftomus, Christum reverenter alloquitur. Non intellexit quae diceret, & impossibile id arbitratur, hoc tamen coniecit. Sunt enim multi, qui ea, quae stulti non capiunt, tanquam impossibilia alto ore divulgant: non ita Nicodemus, qui quamvis Christi eloquia non apprehenderit, non irritus, sed per se tulit. Et ideo non dixit asseveranter: Homo non potest nasci, cum sit senex; nec potest in uterum matris introire, sed sub dubio, & interrogando loquitur, reverentiam habens tanti magistri, ut observat Hugo. Et duo objicit, ut notat Cajetanus. Primò ab aetate secundò, à naturali modo nascendi.
Et ait: Quomodo verbum infidelitatis est ut notat citatus Chrysoftomus, sic enim Judaei dixerunt Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Joan. 6. num. 53. Nicodemus cum Christo loquebatur, adhuc tamen claudicabat in fide, ut dixi supra num. 1. Et ideo ejus verba infidelitatis odorem exhalant, quod enim est in corde semper redundat in os. Et ait homo nasci, cum sit senex? Non pueros, sed senes in exemplum objicit, quia major in his ad renascendum videbatur repugnantia. Deinde, quia ipse Nicodemus senex erat, ac proinde in se ipso ponit difficultatem. Et in ventrem matris iteratò introire. A modo generationis naturalis procedit objectio. De regeneratione spirituali loquebatur Dominus, quam carnis homo non intellexit; & tamen non interrogat, quae sit talis generatio? Quod ejus superbiae ascribit Toletus. Sed modestè Nicodemus, dum per interrogationem loquitur, scire desiderat, quomodo fieri possit: Et ita praebet occasionem Domino, ut ab eo doceatur.

72.



Chrysoft. Theophil.

Nicodemus quamvis dicta Christi non intellexerit, reverenter loquitur.

73. Chrysoft. Iohan. 2.

Tolet. Nicodemus modestus, & non superbe se regit.

Sylveira in Evang. Tom. II.

QUESTIO XIV.

Quare Nicodemus eam humiliter intellexerit sublimem Christi Domini doctrinam.

PRIMA, & litteralis ratio est: quia, cum Nicodemus carnalibus adhuc, & terrenis rebus esset inhærens, spiritualement doctrinam de regeneratione per gratiam minime intellexit. Unde eleganter ait D. Augustinus tract. 11. spiritus ei loquitur, & ille carnem sapit; carnem suam sapit, quia carnem Christi non dicit sapit. Et ita ait Paulus 1. Corinth. 2. n. 14. Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Quod explicans D. Ambrosius ait: Animalis homo pecoribus similis sensum suum in terram deprimit, ideoque non assequitur, nisi quae videt; nec putat aliquid posse fieri quam quomodo scit, ideo quidquid aliter audit quam videt, stultum judicat. At Nicodemus, quamvis dicta Christi non apprehenderit, impossibilia esse non asseruit, ut dixi in expositione.

Secundò D. Cyrillus lib. 2. c. 41. Nativitatem, inquit spiritualement non capiens, nec ultra res humanas quidquam cogitans; corporalem quendam ventrem, & reditum hominis rursus ad parvum fingere cogit: ita magnitudine rerum depressus, in his inferioribus voluit. Intellectus rerum sublimitate oppressus ea non percipit, quae dicuntur ideo audientium imbecillitati condescendendum: ac proinde à sequenti versu Christus Dominus incipit; hanc regenerationem magis explicare, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Et ideo dicebat Paulus 1. Cor. 3. n. 2. Lac vobis potum dedi, non esca, nondum enim poteratis.

Tertiò D. Chrysoftomus homil. 23. Animadverte, inquit, quoniam pacto, qui humanis rationibus spiritualia permiserit, ridicula loquitur, & delirat tanquam ebrius; quoties dicitur unum sensum perscrutatur, neque eum accipit. Dum Nicodemus, secundum vim naturalem, intellectus, intenderit magnitudinem mysteriorum fidei, & gratiae supernaturalis pendere, à veritate maxime deflectit, ac deviat: & ideo tanquam deliramenta reputavit. Vide lib. 1. cap. 1. n. 39. & lib. 2. cap. 4. n. 107.

Quartò, Nicodemus seipsum adhuc non cognoscebat, suam adhuc infirmitatem, hoc est, debilitatem in fide, & gratiae carentiam non sentiebat, quid ergo mirum, si neque medicum, neque prolatum intelligat remedium, si spiritualement non percipiat regenerationem. Qui ad infirmitatem suam oculos, non aperit, aditum claudit ad omne remedium. Ait Christus Dominus Matth. 24. num. 41. Duo molentes in mola, una assumetur, & una relinquetur: duo in lecto, unus assumetur, & unus relinquetur. Duo sunt in rerum temporalium volubili rota, duo in infirmitatis hujus saeculi lectulo; & tamen ad meliorem frugem unus eligitur, alter verò in sua perditione relinquitur. Quamvis tanti discriminis ratio, qui ut perspicax, volubiliam inconstantiam, tantique mali causam agnovit, ad meliorem fortem praedestinatur: qui autem, ut caecus, ad suae infirmitatis originem non vertit oculos, tanquam de salute desperatus relinquitur D. Pascha. lib. 11. in Matth. Quorum unum, inquit qui bene vertit

74.

August.

1. Cor. 2.

Ambros. Homo idolum possibile putat quod intelligit.

75. Cyrill.

Imbecillitas audientium accommodandum.

1. Cor. 3.

76. Chrysoft.

Delirat qui res supernaturales secundum vim intell. eius perscrutat.

77. Homo, ut reformatur, imbecillitatem agnoscere.

Matth. 2.

Pascha.